Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26261
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Gratini quoque senopensis filius dum in balneo mulierum leua- .v.
retur a demone per dicto sensu grauiter cruciabatur. Gratinus autem
misit epistolam ad proconsulem in qua rogabat. ut and rem exo-
rare ad se uenire. Sed ipse apprehensus febre grauiter egrotabat.
uxor uero eius ab ydrope intumuerat. Deprecante igitur proconsule. and re-
as ascenso uehiculo uenit ad ciuitatem. Cumque introisset in domum
gratini. conturbatum spe malus puerum. et uenit et procidit ad
pedes beati apostoli. Quem ille increpans. discede o inquit humani
generis inimice. a famulo dei. et clamitans statim discessit ab eo.
et ueniens ad stratum uiri ait. Recte egrotas incommode. qui
relicto proprio thoro misceris scorto. Surge in nomine domini nostri ihesu
xpi. et sta sanus. et noli ultra peccare ne maiorem egrotationem incur-
ras. Qui statim sanatus est. Mulieri quoque dixit. decipit te o infelix mulier con-
cupiscentia oculorum. ut relicto coniuge. aliis miscearis. et ait.
Deprecor domine ihesu xpe piam misericordiam tuam ut exaudias seruum tuum.
et prestes si hec mulier ad cenum libidinis quod prius gessit fuerit
reuoluta non sanetur omnino. Certe si scis domine cuius potentia etiam
futura prenoscuntur. quod se abstinere possit ab hoc flagitia. te
iubente sanetur. Hec eo dicente dirupto per inferiorem humo-
re sanata est cum uiro suo. Beatus autem apostolus. fregit panem et
dedit illi. Que gratias agens accepit. et credidit in domino cum omni
domo sua. nec de inceps illa ac uir eius. scelus quod prius admise-
rant perpetrarunt. Misit quoque postea gratinus munera magna
sancto apostolo per famulos suos. ipse postmodum secutus est cum uxore.
prostratique coram eo. rogabant ut acciperet munera eorum.
Quibus ille ait. Non est meum hec accipere dilectissimi potius